2. Il Colloquio spirituale è stato pubblicato in parte dal Levasti¹⁶⁶ dal cod. 1346 (cart., 171 ff., fine sec. xiv, ff. 1-78) della Biblioteca Riccardiana di Firenze, unico codice conosciuto. L'opera principia così: « Incomincia lo Colloquio spirituale di maestro Simone da Cascina dell'ordine de' frati predicatori di Pisa. Qui parlano Katerina et Simone soprascritto. Qui incomincia Katerina: O felicie et beato il primo vivere »¹⁶⁷.

3-4. Le Meditazioni spirituali e devote segnalate dall'Allegranza si trovano anonime nello stesso codice (ff. 78-167): « Qui incominciano certe meditassione spirituale e devote. Imprima, come la prima parte della via attiva va innanti alla contemplativa. Dice Bernardo in del terso sermone della Assunzione della Madonna ». Siccome questa parte del codice è anonima, il Morpurgo non la attribuisce a Simone da Cascina, come fece l'Allegranza. Sarebbe dunque da esaminare, se si tratta veramente di un'opera di Simone da Cascina o no. La Versione del libro dei Cantici che secondo l'Allegranza si trovava nello stesso codice, vi manca oggi.

5. La quinta opera menzionata dall'Allegranza si trova oggi nel

¹⁶⁴ Ed. Bonaini, nn. 268-275, pp. 582-593.

¹⁶⁵ R. Barsotti, I manoscritti della « Cronaca » e degli « Annales » del convento di S. Caterina di Pisa, *Memorie Domenicane* 45 (1928) 211-219, 284-296, 368-374. Per la parte redatta da Simone da Cascina cf. p. 290-3.

¹⁶⁶ Levasti, 949-975, 1016 s.

¹⁶⁷ Cf. S. Morpurgo, I manoscritti della R. Biblioteca Riccardiana di Firenze, *Manoscritti italiani*, I, Roma 1900, 407 s.

cod. Pal. lat. 74 (membr., s. XIV, 157 ff., ff. 121^r-131^v) della Nazionale di Firenze: « I sette salmi penitenziali recati in terza rima dal venerabile Padre Maestro Simone da Cascina. Signor nel furor tuo non mi riprendere ¹⁶⁸.

Dopo aver letto attentamente il Colloquio spirituale, il Levasti porta il seguente giudizio su Simone da Cascina: « Fu, di certo, uomo di dottrina, di sentimento e di pietà, ma la sua fantasia bizzarra lo indusse a calcare troppo le tinte, e portò l'allegoria allo spasimo e abusò del simbolismo ¹⁶⁹. Questa tendenza estrema al simbolismo e all'allegoria la ritroviamo anche nei discorsi e nelle prediche latine. Simone non è un genio speculativo: ama il « fantasiari ». L'espressione « animus fantasiatur », colla quale introduce talvolta le storielle che racconta sui vesperandi, è tipica della sua mentalità. Egli stesso caratterizza molto bene la sua opera oratoria quando, nella lettera dedicatoria al maestro generale, dice di essa: « Hic reperiet benigna paternitas multiplicem sermocinandi stilum et varium, prout fantasia propria in modos varios se vertebat ». Simone è molto lontano dalla severa semplicità dello stile e della mentalità della scolastica ducentesca. Abbondano presso di lui le citazioni di autori classici dall'antichità pagana fino al « laureatus Petrarca » (42^{vb}). Anche la scelta degli esempi è ispirata a questa mentalità; quando p. e. al capitolo generale di Bologna deve pronunciare un discorso di ringraziamento verso un cardinale (n. 83), scende all'antichità pagana per esaltare il porporato paragonando le sue virtù con quelle degli antichi eroi.

La raccolta dimostra che Simone era un oratore e predicatore apprezzato, che era scelto volentieri per discorsi riguardanti alti personaggi e che si andava da lui per farsi fare il discorso o la predica. Ciò l'avrà anche incoraggiato a raccogliere quello che della sua attività di oratore e predicatore gli sembrava il meglio per servire di aiuto ai posteri. Ma i gusti si cambiano e la raccolta di Simone rimase in oblio. Ho creduto di far cosa utile attirando l'attenzione degli studiosi su di essa, perchè il continuatore della cronaca di S. Caterina di Pisa fornisce anche nei suoi discorsi e atti scolastici in-

¹⁶⁸ Cf. L. Gentile, I codici Palatini, I, Roma 1889, 76.

¹⁶⁹ Levasti, 74.

dicazioni preziose che interessano la storia, particolarmente quella dell'ordine domenicano, del conferimento della laurea in teologia e dell'università di Pisa alla fine del Trecento e al principio del Quattrocento.

APPENDICE

I

Sermo licentie quam dedi magistro Venture de Mevania et magistro Bartholomeo Tebaldi ordinis predicatorum in Pisana ecclesia katedrali [103^{va}]

« Vocati estis ut benedictionem hereditate possideatis ». Scribitur in epistola hodierna, originaliter autem [1 Petr. 3, 9].

Benignissime archiepiscopo, commendandi canonici, facundi doctores, periti scolares, laudandi cappellani, cives providi et discreti. Si gratia superna affuerit, explicare moliar iuxta vires proprias adiutas a gratia quantum hii licentiandi angustie, quantum sudoris, laboris et tedii, quantum perplexionis et penurie in studio ut informarent mentes scientiis passi sint ac demum explicabo qualiter tamquam victores passionum, temptationum, molestiarum tam intrinsecus quam extrinsecus agitantium sint ad benedictionem vocati. Ut ergo assit gratia, adibimus matrem gratie humili voce pia dicentes sub silentio unum Ave Maria.

Invocata celesti gratia resumo thema: « Vocati estis ut benedictionem hereditate possideatis ». Hic tria de hiiis licentiandis fantasiatur animus et primo gratiosam acceptationem magistrorum in stricto examine ubi se ostenderunt, ideo eis dicitur: « vocati estis »; secundo generosam acquisitionem donatorum ex multo conamine ubi laboraverunt, ideo dicitur: « benedictionem »; tertio rigorosam iurisdictionem meritorum in ornatu anime ubi splendidi erunt, ideo dicitur: « hereditate possideatis ».

Dixi quod primo fantasiatur animus gratiosam acceptationem magistrorum in stricto examine ubi se ostenderunt, ideo eis dicitur: « vocati estis ». Equidem, domini et patres, hic ymaginatio vigilans puto porriget bidellos et domicellos ex parte doctorum hos licentiandos vocantes. Primus domicellus eos vocans est terra, dicens: voco vos qui me perpessistis, textistis in tot locis, in tot partibus super me dormientes, legentes, audientes, repetentes, me verberantes cum libris et pedibus ac implentes et adaquantes vestris sudoribus ut acquireretis scientiam. Secundus domicellus vocans est aqua, eis ad memoriam ducens quotiens pertransierunt per eam, quotiens

iactati tempestatibus fuerint insur[103^{vb}]gentes adversus ventos et adversus fluctus ut theologiam acquirerent, non timentes cum elevabatur undis navigium vel cum ad profunda yma descenderet. Tertius domicellus est aer, ylaem se eis in vocando ostendens, asserit namque: animo virili ut adipisceretis scientiam non curastis me turbidum, tollerastis turbines et pluvias, nives et grandines, coruscationes despexistis et fulgura, derisistis tonitrua, caligines, pruinas tenebrasque palpabiles. Quartus accersitor est ignis, dicens: fovebo vos admodo, membra vestra recreabo meo calore nativo qui eram solitus a vobis aufugere subsannans et vestram paupertatem et vigilias frigidas et studia pernoctata. Vocant eos studentes et scholares quos hii licentiandi instruxerunt legendo, respondendo, disputando, circulos tenendo, sermocinando, animando ad studium, viam scientie demonstrando. Vocant eos doctores, nam perceperunt quod hii inter consocios emulos peritiores fiebant in inimicitii et persecutionibus eorum, in lictectura crescebant, diligentes solum scientiam, nil appetiantes adversa vel prospera, sectabant veritatem saluberrimam donantes corpori paucissimam requiem refectio-nemque minimam ut animam exornarent. Bene igitur vobis examinatis dicitur: « vocati estis », ubi comprehendere possumus gratiosam acceptationem magistrorum in stricto examine in quo vestram scientiam ostendistis. Et hoc de primo principali.

Dixi quod secundo animus fantasiatur generosam acquisitionem donatorum ex multo conamine ubi laboraverunt, ideo dicitur: « benedictionem ». Equidem, examinati, quia laborastis cum multo conamine ad percipiendum scientiam, ut patuit in primo membro, ideo vobis generosa dona dabuntur, habebitis namque in licentia pro dono benedictionem, benedictionem inquam Iacob Gen. XXVII... [104^{ra}] Confidite, examinati, quia vobis benedictionem dabit legislator, Ps. LXXXIII, quia in lege domini meditati estis die ac nocte. Mittet super vos benedictionem sponsa vestra dulcissima, sacratissima scilicet theologia quam nunc in licentia desponsabitis et in aula vobiscum ducetis; et benedictio illius quasi fluvius inundabit, Eccli. [39, 27], cum qua benedictione largietur coronam septem stellas, id est septem scientias continentem. Nam ad nutum theologie omnes scientie ancillantur, ut asserit Hugo libro suo primo de sacramentis, parte prima, ita dicens: Divina scriptura non tantum in materia, sed in modo tractandi, in subtilitate ac profunditate ceteras scripturas precellit, cum in ceteris scripturis sole voces significant, in hac autem non sole voces, sed etiam res significative sunt...

[104^{rb}] Dixi quod animus fantasiatur tertio rigorosam iurisdictionem meritorum in ornatu anime ubi splendidi erunt, ideo dicitur: « hereditate possideatis ». Equidem, licentiandi noviter, propter merita vestra habebitis in licentia rigorosam iurisdictionem in ornatu scientie, nam hereditate iuridica possidebitis in anima habitum sacratissime theologie quem in cathedra et in omnibus locis poteritis effundere aliis et in vobis ut hereditas

perpetua permanebit. Pretiositatem vero et excellentiam tanti habitus possumus comprehendere quoad tria, scilicet quoad patriam unde mittitur, quoad materiam ex qua conficitur et quoad formam qua nobis traditur...

Ex hiis studiosus auditor comprehendit quod habendo in licentia iurisdictionem hereditariam habitus theologie sacratissime habebitis pretiosum thesaurum interius in animabus vestris splendidum et exterius effusum luminosissimis radiis resplendeat. Quam ob rem preparetis vos ad recipiendam licentiam. Attamen antequam dem, stantes recti et ponentes manum ad pectus iurabitis primo. Et sequuntur iuramenta posita superius in sermone prime licentie. Modo genuflectatis humiliter et discooperiatis capita vestra. Ad laudem igitur et gloriam. Et sequitur forma licentie posita post iuramenta. Amen.

II

Hee sunt vesperie quas feci in Pisis eidem magistro Thome [de Vico Pisano] et eram vicarius archiepiscopi Pisani [102^{rb}]

Patres et reverendi domini. Consuevit vesperiandus in presenti actu audire ficta obprobria, iocosas [102^{va}] delusiones verbosas, vituperia fabricata mendaciis ut in patientia virtute mirabili ymitarentur (!) antiquos philosophos et ut tedium remitteret prolixitas huius actus. Verum cum ylaritate et ioco adstantium proferam aliqua non inquam ficta, falsa, mendosa vel sompnia, sed pure veritatis luce splendentia, visa intuitu proprio vel percepta a claris viris solempnibus quibus est fides plenaria adhibenda. Vere ystorie de ipso iocose globatim moliuntur effluere ac quolibet primum exitum expetit, attamen in mentibus scientium remanebunt quam plurime solumque procedent in ordine ut indicabit thema quod in licentia proposui, quod est tale: « Dicit Thome: infer digitum tuum huc [Ioh. 20, 27] ».

Risum et chacchinnum patentem ducentem manus, capud et ylia facit primum verbum, dum mihi id in mentem reducit quod, cum reverteretur Parisius, propter inopiam, pauperiem indigentiamque sumptuum fabricavit. Advocavit socios in necessitate existentes consimili: Mi fratres, ait, amplius venter meus et calidus stomachus nequit pati diu inopiam, voracitatem insatiabilis stomachi sedabimus implentes cibo et crapula, si adsenseritis favorabiliter consilio provideo, me predicantes prophetam divinum, magum magistrumque cuiusque canunis sepulcralis. Ylari gaudio adsenserunt obedientes consocii quibusque viatoribus quam sancte iurabant hunc futura predicere, presentia noscere, intimare preterita, characteribus, lapillis et surculis omnem lucem mundi syderei in antiquum chaos et opacum tartarum collocare. Auditoribus inferebant admirationem, reverentiam, stuporem, interrogandi desiderium, dicentes quibuslibet: hic predicat, dicit, redicit. Ideo hoc novum ad memoriam duxit primum verbum thematis quod est « dicit ».

Edicebat in vulgus archana, dicens se attendere aspectum planetarum ascendens oroscopum nuntians qui punctus nuptiale confirmet coniugium, qui aptus ad implorandum numina fuerit, qui fundandis edificiis ut perpetuo maneant, qui medicamina salubria conferat, qui efficiat negotia comoda, qui odium a coniuge removens amoris veri actus pedicis alliget, qui sit celebris discipline vel artibus, qui viatoribus optimus, qui navigantibus oportunus. Crescente de ipso fama et nomine, ecce quidam adolescentulus nobilis rogat ut in prandio intersit apud eum cum sociis editurus horam saluberrimam medicamini oculorum. Erat huic nobili pater antiquus habundans pretiosis opibus plurimis, cuius oculi caligarent pre senio solumque cum uno intuebatur parum intuitusque parvam distantiam penetrabat, anhelabat pre omnibus pristinam visionem percipere. Cui noster vesperianus, si mille francos acciperet, promisit tam claram lucem reddere quam in adolescentia viridi possidebat. Annuerunt pater et iuvenis deponentes apud fidum nummos quos dixerat. At vesperianus quassanti capite, vultu cogitabundus et oculis post tempus morose verba ponderans inquit: cras hora none punctus adveniet idem vel similis illi in quo receperunt Tobie oculi lucem veram. Tempus produxit ut saginaret famelicum ventrem convivio triplici. In quorum [102^{vb}] primo famem et sitim extinxit plenarie, sed in vesperino secundo deglutiens vina dulcia varia, sic vino effectus est madidus ut in prima noctis vigilia dum ingentes fumi reddebant cerebrum nubilum nudus egressus est lectulum, clamans voce altissima domum incendio possideri. Accurrunt anxii quique conterriti hunc ut nudum velut insanum aspicunt per domum currere, spargere aquam, super lectilem iacere, omnes unanimes inter se mutuo ipsum ebrium fore, attamen plane, propter conceptam reverentiam, murmurabant. Tumultum ~~conspirationemque~~ contra se ut sentiunt socii, qui eum frustra arguerant, providentes saluti proprie, movent quosque clamosa audacia, ne eum vel digitotenus audeant tangere, minantes mortem et crudelia verbera que propheticus et divinus spiritus, qui eum arripuit, foret subito illaturus. Asserebant sepe ipsum bacchari divino repletum spiritu simulareque vecordiam ac tunc edoctum celesti providentia vaticinando futura plurima enarrare. Sicque sedata seditione et clamore adstantium extinctis parumper ardentibus fumis ex frigore reversus in se astute palliavit que fecerat, imperiose mandans ut quilibet abeat, crastino quid illa significant audituri. Disgesto vino surrexit incertus ac tunc predixit imbrem futurum, propter aquam quam fuderat; quia nudus perrexerat, fervidam estatem existere; et quia propter incendium invocarat auxilium, predixit ignem quam plures domos arripere, nisi cura diligens habeatur. Impleto in prandio stomacho vultum temulentum sublimans ad sydera inquit: nunc advenit salubris hora et competens, parentur aque et pulveres imponanturque in egro oculo et videbit. Cuncta peracta sunt prope elegitque punctum ita pestiferum ut sit statim impositis pulveribus excecatus. At eger sentiens se cecum totaliter furiose mandat hunc discerpi

membratim primoque sibi erui oculos; quod effectum foret, nisi peius maleficium invenisset. Ait: silete, queso, duplicabo remedium, eruam antiquos oculos marcidos, lucidis adimplens foramina et, ut fidem verbis quisque adhibeat: in catulo experiar id quod dixi. Adducto catulo ipse ut scitus ioculator e pera quoddam ferrum arripuit visusque est eruere oculum, ostendens unum quem manu tenuerat, quem finxit applicare ubi non deerat illesumque canem adstantibus manifestat. Diffunditur letitia in singulos ex novo miraculo, conclamant unanimes dei Exculapii ipsum fore discipulum, orant ut senem sanet. Qui annuit iubetque quosque secedere: ipse egrum cum paucis astantibus in prato viridi liberabit. Suo nutui famulatur quisque ac in campo ambas seni eruit oculos videbanturque Edippi vulnera, que implevit duobus aliis oculis quos extrahi fecerat uni suo socio odioso. Post hec simulat erbas medicinales perquirere. Verum tunc per invia et devia fugit velociter proiectis propriis vestibus, tonso capite, denigrato toto corpore in acervo carbonum quem repperit, ne foret notus alicui, sicque ut demon tremebundus applicuit Ianuam, ubi omnes pueri usque ad conventum velut fatuum [103^{ra}] sociarunt.

Insurgit secundum ridiculum ex secundo verbo thematis quod est « Thome ». Hoc enim nomen originaliter non fuerat, sed est impositum ab eventu. Sciens namque pater quod appetebat ordinem ingredi, turbatus est spiritu ac eum furiose arripiens, ligans manus et pedes reducensque in spericum globulum vertebat sepiissime dicens: volo quod efficiaris scimia ioculatrix, jo voglio che tomi, or toma! toma! Ideo vocatus est Thomas. Addebatque pater: scio fratres appetere brodium, propter quod eum totum liniit brodio fratremque plenum brodio appellabat, id est brodoso et brodaglioso.

Tertio recordeo ingentis fatuitatis quam fecit dum iret Parisius, quam in memoriam ducit tertium verbum thematis quod est « infer ». Equus namque eius propter suam avaritiam in via fame defecerat nec movere se poterat, sed in terra sepe debiliter se sternebat. Hoc videns vesperianus descendit de equo dans frenum socio qui pedes continue iverat, ipse vero flagellabat equum, ictus iterans cum aspero baculo, equus vero magis immobilis reddebatur. Clamabat socio: infer, infer! scilicet: tira, tira! Ecce « infer ». Nec proderat; propter quod sellam et frenum ponens in capite flendo volebat recedere equumque lupis et belluis dimittere devorandum. At socius qui erat astutulus, volens ipsius propalare stultisiam, inquit: si frenum in ore tenueris sellamque circha dorsum super quam me per unum miliare portaveris, sanum et fortem equum restituam. Qui eum hoc modo super se iubet ascendere, rogans ut equum fortem efficiat et ipse subibit ignotam penam et laborem quadrupedum insuetum. Sic itaque equitavit vesperianus verberans sepe calcaribus trahensque lorum fortissime, exulceravit os, dentes debilitans ac fruges porrigebat equo, ex quibus fortificatus continue sequebatur.

Quia quartum verbum est « digitum », audite magnam prudentiam. Erat in Senis studens et iuvenis anhelabatque scire quid de ipso deberet contingere. Quem unus conversus adiit, dicens sibi predicere, si fecerit et dixerit imperata. Asserit se cuncta facturum intransque circulum quem conversus iam fecerat, ut iussus est, capud in terram deposuit, in ore digitum. Ecce « digitum ». Dicto primo tribus vicibus « Pater noster ». Tunc ait conversus sagax clamose: die tertio: Che me destinato? Postquamque reiterat tertio, conversus sublimat pannos vesperandi ponens in capite et exclamans: E te destinato lo capo in terra, il dito in boccha e i panni in capo! statimque intraverunt iuvenes plurimi quos conversus secrete adduxerat videntesque nudum altare viaticum, ei quamplurimum illuserunt.

Quintum verbum thematis extat « tuum », quod verbum est conforme vesperando in omnibus. Possumus enim dicere vesperando: tu es tuus, semper tuum sequens consilium: Egli ae il capo duro et parli esser uno merlino. Audite queso quid fecit dum esset novitius. Semel in festo solempni, ut moris est ordinis, tulit crucem ante dyaconum qui habebat evangelium legere tenentemque crucem transverse dyaconus arguit mandavitque ut more solito reaptaret. At ipse dure cervicis manebat ut statua, dicens se nolle vertere aliter sicque eam velle manere [103th], si omnes mundi homines se opponant. Indignatus dyaconus ex tenaci superbia ait: nisi iuxta morem solitum teneat, se nunquam evangelium incepturum. Tunc vesperandus magis firmavit propositum viriliterque tenebat crucem, ne vel paululum moveretur. Fratres in choro cantaverant nec incipiebat dyaconus, qui erat cervicis peioris vel similis, sed solum detestatus huius superbiam quosque ut reaptari crucem facerent verbis humilibus inducebat. Plurimi rogant vesperandum ut teneat debite, alii arguunt, quidam minantur penitencias asperas, sed persuasiones manendi in proposito videbantur. Tunc quidam de sociis vi voluit de eius manibus crucem eripere, ne procederet ulterius scandalum. At sapiens vesperandus iracundo impetu hastam sublimans ipsum percussit in capite, vulnerans taliter quod de eo diebus aliquibus medici dubitarent. Aitolii iddio chera novicio; fuli perdonato, perch'era gramatico.

Ad modo, patres mei et reverendi domini, obmissis iocosis ludibriis huc mentem advertite, nam ultimum verbum thematis erat « huc ». Huc ad nostram theologiam licentiatus et iam vesperiatu accessit, ubi humilitatem didicit expellentem superbiam, caritatem tenuit adversantem odio proximi, puritatem servavit, pacem tranquillam repperit, opera virtuosa exercuit et quasi purissimo lavacro mentem ab omni contagioso morbo liberrime expurgavit. Huc inquam vesperiatu accessit, ubi didicit non ornari veste, sed moribus, non calamistro crispari comas, sed pudicitie habitu, ieiunare crebro, peregrinos suscipere, defendere pauperes, orationibus instare, visitare languentes, elemosinas egenis porrigere ac se in cunctis operibus obsequiosum omnibus exhibere. Hic vidit theologum non oportere declamatorem esse rabulum garrulumve, sed misteriorum peritum et sacramentorum dei

eruditissimum, verba enim volvere et celeritate dicendi apud imperitum vulgus ammirationem sui facere indoctorum hominum est, ut ait Ieronimus... Huc inquam attendite, reverendissimi domini, primas de ipso nugas eradatis de mentibus solumque huc, ut ultimum verbum proloquitur, accedat vester intuitus ubi letificabit corda splendor eximius, accendet animos avidos, inscios instruet, consolabitur pauperes, devios perducet ad terminum ac anhelantibus paradisi ianuam demonstrabit. Quam ingredi faciat qui est in seculorum secula benedictus. Amen.

III

Vesperie quas feci in conventu Pisano pro magistro Bartholomeo Tebaldi qui legit ibi pro forma [105^{va}]

Actus iste, mei reverendi domini, originem habuit, ut arbitror, a Romanis veteribus quorum laudabilis mos erat eos qui triumphabant persequi verbis pungentibus, eorum malefacta ad memoriam ducere, vituperia prompte configere, ne triumphi gloria eos extolleret extra terminos rationis. Ideo vesperiane novelle que loquar apertis auribus percipe, nam, ut scribitur Canticorum septimo et pro themate capio: « Omnia poma, dilecte mi, nova et vetera servavi tibi » [Cant. 7, 13]. Hoc assumptum thema materiam prebet latissimam, attamen, ut pedetentim sermonem ingrediar, accipio verbum apostoli 3 ad Eph. sic dicentis: « Deponite vos secundum pristinam conversationem veterem hominem qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renovamini autem spiritu mentis vestre et induite novum hominem qui secundum deum creatus est in iustitia et sanctitate » [Eph. 4, 22-4]. Ubi, si clare intueor, triplex conclusio innotescit. Et primo admiranda nugatio narrativa, propter quod dicit apostolus: « deponite vos secundum pristinam conversationem veterem hominem qui corrumpitur secundum desideria erroris », ideo dicebam in verbo proposito: « omnia poma, dilecte mi »; 2° acceptanda formatio instructiva, quia dicit apostolus: « renovamini autem spiritu mentis vestre et induite novum hominem », ideo dicebam in verbo proposito: « nova et vetera »; 3° conservanda sanatio perfectiva, quia dicit apostolus: « qui secundum deum creatus est in iustitia et sanctitate », ideo dicebam in verbo proposito: « servavi tibi ».

Dico primo quod ponitur admiranda nugatio narrativa, propter quod dicit apostolus: « deponite vos secundum pristinam conversationem veterem hominem qui corrumpitur secundum desideria erroris », ideo dicebam in verbo proposito: « omnia poma, dilecte mi ». Equidem, novelle [105^{vb}] vesperiane, ut omnibus pateat admiranda nugatio narrativa, volo quod nedum ambas manus aperias, verum sinum tuum et gremium: implebo eum pomis divitibus, nam « omnia poma, dilecte mi, nova et vetera, servavi tibi ». Accipe inobedientie pomum primum primi parentis Ade, quo com-

mesto Adam se nudum reperiens statim pudenda membra cum mentis confusione operuit, ut Genesis 3 cap. adnotatur. Sicque, quia quidam dicunt ficum fuisse arborem prohibitum ex eo quod ibidem scribitur: « fecerunt sibi perizomata de foliis ficuum », recordare dulcissimarum ficuum quas in puerili etate cum tanta voracitate avidissima comedisti. Mei dilectissimi domini, pater huius novelli vesperandi est vocatus Tebaldus, quod nomen a quodam derisorio ludo obtinuit. Erat enim nomen proprium Baldus, sed cum foret tinniosus, habbominabilis, scabrosus in capite, semel consocii arripientes caputium alterque prohiens alteri eum mirabiliter deludebant dicentes: tene Balde, te Baldo, te Baldo »: ideo est semper Tebaldus postea nuncupatus. Hic igitur Tebaldus erat venditor fructuum, era un pissicaiuolo, un treccone, idcirco de filio vesperando congruens verbum proposui: « omnia poma, dilecte mi, nova et vetera servavi tibi ». Servavi poma que fraudulentum cum ingluvie dampnose ac ignominiose deglutiens absorbebat. Commendavit pater nostro vesperando fructuum apotecam multotiens, qui videns ficus primas maturas dulcissimas, adherens calato sic ibi adaptavit gustum et stomachum quod ex eis minima non remansit. Pater dampnum devoracionis reperiens hunc vocat sepius vocibus ac demum de quodam vetusto scanio, ubi latitaverat, trepidus exiens comparuit coram patre. At pater hunc furibundo impetu exuens verecunda tegit pungenti urtica, involvens collo dirum serpentem quem casu in domo invenerat sicque eiectus a patris facie noster vesperandus nudus et profugus per civitatem totam diu miserabiliter mendicavit.

Accipe secundum pomum ac memor esto durissimarum amigdarum que in tuo forti capite propter incontinentiam sunt confracte. Scribitur Ecclesiastes XII, [5]: « Florebit amigdalus et impinguabitur locusta ». In-crassatus enim et impinguatus est semel de amigdalibus quas patri furatus est in loco stans velut locusta ubi erant quousque saturatus est venter avidus, unde sustinuit penitentiam congruam, nam pater unam confregit in suo durissimo capite, que tangens quasi panniculum cerebri, eum extra spem vite diebus plurimis posuit soletque etiam cicatrix in capite apparere.

Tertio, domine vesperande, recordemini quod, ut scribitur Numerorum XI, [5], in mentem vobis venerunt cucumeres et pepones porrique et cepe et allia. Vesperandus novellus, cum esset annorum XV, prospexit quadam die cum sociis ortulum satis amenum quem noctis tempore invadunt cattervatim arripiens alius graves cucumeres, alius pepones grandes, alius aliorum manipulos, alius porros et cepe, singuli, prout ferendi possibilitas aderat, dumque sic onerati conciti fugerent, ortolanus laborem suum ablatum dissipatumque [106^{ra}] prospiciens, voce flebili clamitans vocansque vicinos nomine proprio hos proprio cursu insequitur. Qui evadentes relictis honeribus nostrum vesperandum currentem tepide comprehensum dimiserunt in manibus ortolani. At ortolanus hunc ligans strictissimis funibus, rebus quas abstulerat deludit mirabiliter et exornat, binos enim cucumeres

adaptat in tibiis totidemque pepones in cruribus residuoque corpori porros, cepe et allia, in capite pro galea ponit cucumerem medium ac sic ultra vires honustum cum delusione armatum ad patrem reducens proprium restitutionem petit flebiliter tanti dampni. Pater vero respiciens filium: venisti, inquit, armatus inire bellum cum patre inermi, duellum igitur ineamus. Tunc hunc sic percussit pugnīs, fuste et calcibus quod semivivus in terram labitur exutasque eius vestes ortolano largitur cum muneribus aliis, mandans filio ne ulterius venire audeat coram eo. Ignorans tunc vesperandus quid facere debeat, currens per civitatem anxius nec a quoquam favore auxiliū capiens, Predicatorum intravit ordinem. Quem de acquisitis elemosinis quidam frater venerabilis induit, pie compatiens ne propter inopiam desperaret. Factus frater, dum post profexionem non erat sub ferula, a suo arbitrio capiens licentiam liberam quidquid pomorum in orto vel in loco alio erat male repositum, in suo gutture abscondebatur. Vidit in viridario fratrum arborem mori plenam suis sapidis et pulcerrimis fructibus dixitque in corde suo ex magna ingluvie, ut scribitur Luce XVII, [6], huic arbori moro: «eradicare et transplantare», non quidem «in mare», ut ibidem additur, sed in guttur meum exuensque capam cum pannis albis quos induerat noviter, fatue ascendens arborem illis pomis implevit corpusculum, verum pannos sic colore rubeo, quod inde nunquam macule sunt exterse. Prior qui pannos huius mendicando laboriose quesierat, abhorrens fatuitatem et turbatus spiritu removens vesperiandi vestes sic disciplinavit renes et spatillas, quod sunt effecte nigerrime, addiditque: hodie fuisti albus, rubeus et niger sicut mora que absorbuisti inventa sunt in die qua se Tisbe et Piramus peremerunt.

Cape vesperande pomum quod inter deas proiecit Discordia, de quo tulit Paris sententiam, ut Ovidius, Apulegius poete fabulantur et ceteri ac reduc ad memoriam poma que furabaris Bononie, de quibus fuit tanta discordia. Erat, mei domini, vesperandus novellus studens Bononie cepitque cum uno qui vendebat fructus amicitiam strictam, quem diebus singulis visitans dampnificabat subtiliter, latenter asportans sub capa poma que poterat diuque furandi artificium pulcerrime procedebat. Furabatur cerasa, uvas, malogranata, pruna, arancia, lūneas, cedros; furabatur sorba, nespula, persica, pira, diva dulcia; furabatur arbuta, avellanas, nūces, castaneas et etiam daptilos quos vendebat. At paterfamilias nullas fraudes in fratre suspicans multotiens dura verba cum familia habuit, dicens non fore equum neque humanum cotidie fructuum partes [106th] electiones subripere eumque ducere gradatim ad extremam inopiam percussitque asperē uxorem et liberos pluries credens eos rapine participes sicque noster vesperandus inter istos continuam querimoniam nutrebat. Tunc calamitosa uxor et lacrimosi filii nullam fecisse subreptionem deierantes sepius inter se convenerunt vigilanter querere latronem communis dispendii atque hunc venientem consueta hora ad opus furtivum solitum conspexerunt implentem pomis sinum et pe-

rulam dumque vellet abscedere invadunt clamoris obprobriis, vituperosis verbis, propalantes transeuntibus huius ingentem tristitiam conanturque ad conventum deducere ut pene debite subiaceret. Ipse vero clam capam et scapulare vi extrahens, sine habitu, in sola tunica fugiens de manibus omnium dimictens sua Bononie, ne clauderetur in carcere, cursu velocissimo ad istam suam provinciam solus cum multo vituperio remeavit.

Dicamne, vesperiane novelle, causam ob quam nunquam portas serrabulas? Dicam, equidem plenus rimarum sum, effluet. Quodam tempore, venerandi domini, hic existens Pisis spatiatum ivit per vallem Selcli cum aliquibus venerandis fratribus, ubi civis nobilis ibi tunc habitans curialiter benigneque hos recipit, collationem parat, ducit ad quoddam suum opulentum viridarium, ubi in una arbore pendebant plurima pretiosa et pulcra persica grandia. Unicuique licentiam liberam dat accipere quot velint comedere asportantes unum solum in manibus, rogans et obsecrans ne plura colligant, cum expectet aliis dominis dare partes. Parce iuxta mandatum se gesserunt venerabiles socii, verum iste qui circa poma habet gulam latissimam, inpleto ventre clam implebat latas suas serrabulas. Cuius vilitatem aspernatus dominus, fingens nichil vidisse, permisit quot recipere poterat intromitti, dum vero recessuri licentiam a nobili peterent, ait nobilis huic nostro vesperiendo: bone frater, vere tibi compatiar, nam appares in membris genitalibus esse fractus. Hunc statim pavor et verecundia arripit nitentemque recedere denudat nobilis in loco unde omnia latentia persica patuerunt. Tunc civium et rusticorum multitudinem advocans, detestatus huius stultitiam, delusit et derisit multimode. Ex quod hic iuravit et vovit nunquam brachas vel serrabulas gerere...¹⁷⁰

Bene igitur dicebam quod ponebatur primo admiranda nugatio narrativa ex quo consulendo, domine vesperiane, dico verbum apostoli: «deponite vos secundum pristinam conversationem veterem hominem qui corrumpitur secundum desideria erroris», deponite inquam omnia poma, dilecte mi, et, ut addit apostolus, «renovamini autem spiritu mentis vestre et induite novum hominem», ubi secundo ponebatur acceptanda formatio instructiva. Ideo dicebam in verbo proposito: «nova et vetera», «novis enim supervenientibus vetera prohibietis», ut scribitur Lev. XXVI cap., [10]. Equidem, amantissime vesperiate noviter, acceptabis formationem salubrem, si attendes verbum Agustini in De verbis domini sic dicentis: obliviscere quod es et attende quod futurus es. Plane predilecte inter plebeios et studentes numerabaris ac intuebaris te in mundo hominem, in ordine fratrem, in scholis scolare simplicem absque apice dignitatis. Parumper dedignatus est animus nobilis ac discurrens per civitates [106^{vb}] et oppida, afflixit corpus laboribus, ducens quocumque rapiebat fama scientie com-

¹⁷⁰ Segue nel ms. ancora un'altra storiella.

prehendende eminentes doctores percepit facillime, liberales artes pro fundamento ponens ut theologiam, quam exquirebat totis conatibus, pleno haustu ad perfectum perciperet ac in ea insigniretur infula doctoratus. Hodie venit dies leta desiderata per tempora. Sed intueri subtiliter quia hic dies aliam vitam affert, alios moros postulat quam fecerit preterita vita tua...¹⁷¹

IV

Forma privilegii dati magistrato in theologia. Nota formam [114^{vb}]

N dei et apostolice sedis gratia sante Pisane ecclesie archiepiscopus, totius Sardinee primas et apostolice sedis in ea legatus cancellarius in theologia Pisane universitatis universis et singulis, tam clericis quam laycis, presentes litteras inspecturis in testimonium et certitudinem veritatis notum facimus harum serie litterarum qualiter die XXVII may omnes magistri in theologia universitatis Pisane Pisis tunc existentes, scilicet magister Symon de Cascina ordinis predicatorum, decanus, magister Iacobus Iohannis ordinis eiusdem, magister Leonardus Statii de Florentia ordinis predicatorum, magister Nicholas de Senis ordinis minorum, magister Bartholomeus Bartholi ordinis heremitarum, magister Antonius de Massa ordinis minorum, venerabilem fratrem Nicholaum de Gamundia ordinis minorum, qui in universitate Vienne[n]si legit sententias pro forma magisterii obtinenda, cursum suum ad plenum ibi complevit, in nostra presentia et de nostro assensu, habito prius consilio viginti magistrorum non existentium de universitate Pisana, acceptaverunt, receperunt et incorporaverunt in Pisana universitate ut per ipsam ad magisterium valeat pertransire. Et quia dignum est ut, qui in scientia divina laboravit in sua iuventute intentis vigiliis, multis sudoribus, assiduo studio, sollicitis repetitionibus, exercitio utili, disputationibus crebris, doctrinis catholicis, inquisitivis controversiis, ardentibus predicationibus, mereatur ipsius theologie radioso titulo laureari, idcirco die XXVIII dicti mensis venerabilis vir fr. Nicholas Bertuldi de Senis supradictus ordinis minorum presentavit supradictum fratrem Nicholaum de Gamundia bachalarium nobis, assistente decano, petens ut ad examen magistrorum ponatur idem bachalarius incorporatus. [115^{ra}] Quam petitionem accepavimus tamquam iustam dedimusque et assignavimus diem primam iunii pro examinatione solempni. Postea, die XXX may, venerabilis magister Symon supradictus, decanus, in presentia magistrorum in loco fratrum predicatorum de Pisis dedit eidem fratri Nicholao de Gamundia prius nominato bachalario

¹⁷¹ Segue una breve considerazione sull'alta perfezione morale che la teologia esige dal teologo.

pro punctis duas distinctiones legendas et declarandas, scilicet talem talis libri et talem talis libri. Die vero prima mensis iunii in capella archiepiscopalis palatii in nostra presentia examinatus idem bachalarius a magistris universitatis solempniter, fuit unanimiter et concorditer tamquam benemeritus approbatus; propter quod eadem die requisivimus predictum bachalarium mandantes eidem per litteras nostro signeto secreto sigillatas quatenus die secunda mensis iunii veniret ad Pisanam cathedralem ecclesiam licentiam publicam recepturus. Qua die 2^a iunii, que fuit dies dominica, in Pisana maiori ecclesia coram multitudine copiosa venerabilis vir fr. Symon de Cascina, magister et decanus, ex commissione nostra laudata cum sermone excellenti sapientia divinali et etiam licentiando laudato dedit eidem examinato licentiam publicam in sacratissima theologia legendi, disputandi, terminandi, diffiniendi, glosandi, interpretandi (!) ubique terrarum cum clausulis opportunis. At die sequenti immediate, scilicet tertia iunii, in ecclesia sancti Francisci de Pisis in loco ordinis minorum, supradictus magister Nicholaus de Senis, assistente multitudine magistrorum, doctorum, abbatum, prelatorum et temporalium dominorum vesperavit sepedictum fratrem Nicholaum de Gamundia, licentiatum in theologia, observatis solempnitatibus consuetis. Ultimo, quarta die iunii eiusdem mensis de mane, assistentibus magistris in theologia triginta duobus, in presentia plurimorum excellentissimorum virorum, doctorum et bachalariorum, tam sacre theologie quam aliarum facultatum, coram principibus, baronibus et aliis in multitudine numerosa predictus fr. Nicholaus de Gamundia vesperatus accepit a venerabili viro fratre Nicholao Bertuldi de Senis insignia doctoratus cum quibuslibet solempnitatibus in similibus actibus solitis exerceri. In quorum omnium testimonium presentes patentes litteras fieri fecimus et nostri pontificalis sigilli iussimus appensione muniri.

Datum Pisis in nostro archiepiscopali palatio dominice incarnationis anno MCCCCIX, indictione etc. die tali etc. Ego Phylippus notarius universitatis predictis omnibus interfui et cum testibus fideliter in hiis scriptis omnia annotavi.

Nota ista duo. — Hic notanda sunt duo. Primum quod duo bachalarii qui legerant in aliis universitatibus, unus in universitate Cantabrigie et alius in Vienna, transiverunt per universitatem Pisanam et determinatum est a viginti magistris non existentibus de Pisana universitate, sed existentibus Pisis, quod poterant transire sine alia lectione vel alio cursu. Et hoc idem dixerunt multi famosissimi doctores in iure. Secundum notandum est quod magistrati sunt per universitatem Pisanam stante concilio, ubi fuerunt centum triginta magistri in theologia.